*6 H.J. v. 22.

IN AUGUSTISSIMAS SERENISSIMI DELPHINI NUPTIAS

CARMINA,

In Scholâ Rhetorices ſcripta & à ſelectis Rhetoribus recitata,

Die Jovis 11 *menſis Martii, an.* 1745.

Carminum Argumenta propoſita fuerant à P. JOANNE-BAPTISTA GEOFFROY, Societatis JESU Sacerdote, ac Rhetorices Profeſſore.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE

PARISIIS,

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS Typographi, in Plateâ Cameracenſi.

M. DCCXLV.

Cum Permiſſu & Approbatione

IN AUGUSTISSIMAS SERENISSIMI DELPHINI NUPTIAS

CARMINA, INVITATIO,

In Scholâ Rhetoricæ scripta & à selectis Rhetoribus recitata,

Die Jovis 11 mensis Martii, an. 1745.

Carminum Argumenta proposita fuerant à P. JOANNE-BAPTISTA GEOFFROY, Societatis JESU Sacerdote, ac Rhetorices Professore.

PARISIIS,

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS Typographi, in Plateâ Cameracensi.

M. DCCXLV.

Cum Permissu & Approbatione

INVITATIO AD JUNIORES POËTAS.

SPES & amor Pindi, multo quos fœnore ditat
Et sinè mœstitiâ, nec sine laude labor.
Fertè pedem huc celeres, Juvenilis turba, Poëtæ
Carmina poscit Hymen, carmina dicat Amor.
Sequana BORBONIUM REGEM concessit Ibero
BORBONII prolem REGIS & ille refert.
Non æquale quidem, at justum pro munere munus,
Esse patris prêtium, si patre digna, potest.
Et Patre Progenies, Conjux & Conjuge digna,
Ut fuit Illius, sic erit Hujus amor.
Ingens materies, ingenti Carmine digna,
Vatibus & magnis quod caneretur, adest
Armis fœdifragum Domus una subegerat Orbem,
Fœdere & armatum nunc quatit una suo.

Mutua quæ junxit connubia, Marte ſequeſtro;
Hæc nexu gemino publica fata ligant.
Antè repentinas dum plebs effuſa per ædes
Irriguos reſono volveret ore jocos.
Aula laborato ſtreperet dum tota tumultu
Et feſtos agerent Numina læta choros.
Dum ſua quiſque ſuo ſignabat gaudia plauſu,
In Pindo & cantûs jus melioris erat.
Diſcipulos decuit ſervare ſilentia; vocem
Tollere nunc licitum, nunc cohibere nefas.
Flores ne pigeat geniali attexere myrtho,
Cui ſocias laurus ſubdit amica comas.
Si timor eſt neſios puerili pollice tactus
Sordeat, adjicient Lilia juncta decus.
Nunc ſponſum, alterno Sponſam nunc dicite cantu
Ille ſuum Carmen poſcit, & Illa ſuum.
Quid loquor? In veſtris ſocientur cantibus Ambo,
Sitque unum junctis Carmen, ut unus amor.
Materie in tantâ, ne quâ licet arte placere
Quærite... materies quod placet ipſa dabit.

CL. FR. PELLOT,
Rhetor Novus.

AD BRUMAM,

Ut advenienti SERENISSIMI DELPHINI *Sponſæ propitia ſit.*

BRUMA rigens glacie, vento aſpera, fœta procellis
Frigore vincta ſinus, grandine cincta comas.
Deſine conſuetis vaſtare furoribus Orbem
Sis mala cùm toties, nunc ſemel eſto bona.
Ut tibi quàm quod adeſt melius nil poſſit adeſſe,
Ipsâ te meliùs, ſic nihil eſſe velis.
Mittitur Heſperiâ Virgo Regalis ab orâ;
Credita Virgo tibi eſt, credita noſtra ſalus.
Tu cave Virginei lædantur frigore vultus,
Floridus & tenero palleat ore decor.
BORBONIA de Stirpe decus trahit illa, rependet
BORBONIÆ Stirpi, quod trahit inde, decus
Hâc veniente truces pelle obſequioſa procellas;
Vultus ut eſt olli, ſit ſine nube, dies.
Diſcordes ventorum animas conſtringe catenis;
Tàm puros habeat, quàm dabit ipſa, dies
Aut tibi ſi tanti eſt ſolitos frænare furores,
Uni parce, datur plurima terra tibi.
I, pete, liventi quæ circum pinguia limo
Arva rigat refugâ decolor Albis aquâ.
Ad gelidas Alpes, & Brumæ nata perenni,
(CONTIUS exceſſit) culmina flecteviam.

Auge quas gremio fovet Anglia fœta procellas
Fulmen ubi LODOIX deſtinat, inde tona.
Gallorum nitidos ſi qua infremat aura per agros
Gallica ſit, gaudens pace, micanſque jocis
Regia non petimus ſternatur ſemita flore
Virgine calcatum flore nitebit iter.
Tuque, peregrinis erras qui devius oris
Et noſtri oblitus, nec memor ipſe tui;
Gallica gemmantes reflecte in littora currus,
His tibi quæ placeat lux nova, Phœbe, venit
Lucis & ipſe queas pater invidioſus haberi
Sidere ſi Gallos, hoc veniente fugis.
Nec fugies, nam quæ melior tibi Terra videri
Poſſit, ubi & melior tu ſimul eſſe velis.

CAR. ALEX. LE BAS DE CLEVAND,
Rhetor Veteranus.

DUO LILIA
AB HYMENÆO JUNCTA.

REGALI fluctus quà non procul Urbe reducens
Sequana, Verſalicos petit ambitioſior hortos;
Quâ rutilis pretioſus aquis, & gurgite dives
It Tagus auriferæ REX invidioſus arenæ,
Se duo tollebant felici Lilia fato;
Fatum mox Populis felix paritura duobus.
Stirps una Amborum eſt; ſolio quæ duplice nixa
Expandit ſociale decus, Latioque petenti
Se dignam Sobolem domitas effuſa per Alpes,
Geſtat tergeminam, quartæ ſecura, coronam,
Pluribus haud Impar, atque omnibus apta gerendis.
Hanc circum flexove humilis, ſtratove ſubacta
Vertice Plebs florum, regali adrepit in umbrâ.
His varius color eſt, ſuccos ut amica miniſtrat
Æmula ve infringit vires; ferrugine livent
Nexu qui rupto, Stirpè à victrice recedunt,
Quos habet illa ſibi ſociali fœdere junctos
His animam, & robur, dignoſque impendit honores,
Et ſocium propio ſpargit fulgore cacumen;
Hâc duo ſe jactant felici Lilia Matre,
Mater & hâc duplici jactat ſe prole viciſſim;
Unus utrique decor, Par gratia, diſpare formâ,
Terrâ ut diſſimili, geminoque in littore nata

Unâ è Stirpe tamen, cognato & Caudice credas.
Floris & alterius ſic Flos habet alter honores
Ut ſimilis ſit uterque ſibi, ſit nullus utrique.
Majeſtas Germanum apicem Germana coronat,
Temperat hanc Patrio dulcis candore venuſtas.
Et ſibi conveniunt, & ſunt in mutua nati
Fœdera; ſejunctos altâ improbitate locorum
Jungere certus Hymen, videt exultatque videndo.
Alta Pyrenæi petit illicò culmina montis
Attonita infremuit, motoque cacumine rupes
Plaudere viſa Deo. Properat nihil ille moratus
Littus ad heſperium; cedentem è Ceſpite Florem
Educit Patrio, cognato ut Ceſpite jungat.
Heſperiam ſubitò immenſus dolor occupat oram
Flebilibus lamentis, & miſerando ululatu
Littora perſonuêre; effuſis fletibus urnas
Nayades implerunt, ripæ rutilantis honores
Ereptos in flore ſibi, ſua gaudia, Nymphæ
Certatim repetunt. Tagus audiit, hæſit & alveo
Ipſe immane fremens; quamvis in Ceſpite multus
Flos ſimilis patrio ſupereſt, tamen ille repoſcit
Ereptum munus, rutilas quas gurgite volvit
Spontè daturus opes, redimendas flore redempto.
Sequana, ſed tanto lætatus munere, curſum
Siſtit amans, urgetque hilaris, fluctuſque moratur,
Præcipitat fluctus, & ſeſe gurgite jactans
Infremit undanti ſua circùm littora plauſu.
Verſalicos ubi victor Hymen pervenit ad hortos,

Intexit myrthum geminam quæ fœdere fauſto
Lilia conjungat, LODOICI è fronte virentem
Mars laurum excerpit; Victoria pronuba nexum
Adjicit ipſa ſuum, & ſpondet pro dote triumphos.

JACOBUS MASSÉ,
Rhetor Veteranus.

MARTIS ET HYMENÆI FŒDUS.

STRAGE madens, necdum ſatiatus ſanguine Mavors,
(Gallicus ille licet, neque parcere neſcius hoſti)
Ibat, & ardentes quaſſabat fulmine tædas,
Fulmine quo celerem præceps dedit Ypra ruinam,
Mœniaque indocilis cecidêre ambuſta Friburgi,
Olli occurrit Hymen, armato, fulgidus armis
Ipſe ſuis, teretemque auratis cornibus arcum
Et volucres geſtans pharetrâ reſonante ſagittas.
Tenuia criſpabant puerili ſpicula dextra
Pennati Riſus; it mollis pectora circùm
Faſcia, & undoſo fluitans, ceu baltheus, orbe
Partitur corpus medium, per tempora myrthus
Volvitur, & Verni brumali frigore flores,
Quales BORBONIDUM fert omni tempore Tellus.
Ipſe facem tremulam dextrâ rutilante coruſcat
Gemmeus unde nitor, lux aurea, flammaque tactu
Ludens innocuo, & roſeum ſine fulmine fulgur.
Hic clypeum geſtabat ovans, geſtabat & ille,
Ære rigeſcentem, calidâque à cæde cruentum
Mars habet, at puro fulgentem Hymenæus ab auro.
Ex Martis clypeo pendent rorantia tela.
Quæ nuper Gallus, nuper commiſit Iberus

Prælia ſanguineo ſignata leguntur in ære.
In medio hinc LODOIX, Rex Victor & Arbiter, Ypræ
Diſjectique inter fumantia buſta Friburgi
Europæ fatum intuitu ſuſpendit herili;
Hujus ad imperium captivo gurgite Rhenus
Decolor & Scaldis famularem ſubjicit urnam.
Annibal hinc geminus, ſociâ virtute, negatum
Eluctatus iter domitas pede conterit Alpes,
Liliaque attrito florentia culmine figit.
Sed quem geſtat Hymen oculos meliore moratur
Intuitu clypeus, nihil hîc niſi læta, Cupido
Ipſe ſuâ ſignavit acu, fixitque ſagittâ.
Gallicus hinc Princeps, Hiſpana hinc Virgo, decore
Ambo pares, habitu ſimiles & moribus Ambo,
Defigunt in ſeſe oculos, nutuque loquaci
Accendunt ignes, accenſis ignibus ardent.
Aſtat Amor, pennâque faces rutilante coruſcat;
Gratia criſpatos dum colligit ordine crines,
Floribus & gemmas, & gemmis implicat aurum.
Alter in alterius conſpectu turbidus hæſit.
Mars iræ impatiens prior increpat; arma lacertos
Nempè tuos hæc noſtra decent, incendere terras
Martis opus... reſpondit Hymen... inferre ruinam
Eſto tuum... reparare meum eſt.. tibi prælia cordi
Pax mihi... tu ſolvis nexus, ego fœdera jungo...
Acriùs exarſit Mavors, & fervidus enſem
Jam rotat, aufugiunt ſubitâ formidine Riſus;

Pacis & implorant Numen... Pax Marte fugata
Exulat... Heſperiâ ſed tùm remeabat ab orâ
Connubii Genius referens data pignora pacti,
Ut videt, & rixæ fuerat quæ cauſa rogavit;
Quod meditatur Hymen fœdus, me teſte paratum eſt,
Sic juſſit LODOIX, & judice Marte probandum;
BORBONIUM utrinque eſt. Audito nomine Mavors
Hæſit, & Heroes, ait, hâc mihi Gente creantur,
Pridem & BORBONIUM fecit Victoriâ Martem.
Nec mora diducunt riſu ſe labra ſereno,
Protinùs accurrunt levibus per inania pennis,
Concordeſque Deos teneri amplexantur amores.
Inter adulantis puerilia murmura turbæ
Exultat Mavors, ita ſe mutatus ab ipſo
Ut belli Numen poſſit quoque pacis haberi.
Aggreſſique armis etiam ſpoliare volentem
Hic clypeum, galeam ille rapit, ſibi vendicat alter
Caſſida, ſanguineam rotat alter fervidus haſtam,
Et dudùm Auſtriacis plorandum uxoribus enſem.
Et videt, & multo religari horrentia flore
Membra ſibi patitur; ſpirantes naribus ignem
Jungit equos curru quo ſeſe Hymenæus agebat,
Verſalicaſque Ducem ſequitur famulatus ad arces.

JACOBUS DE FARGÈS,
Rhetor Veteranus.

HYMENÆO TROPHÆUM.

Liquerat Heſperios, perfunctus munere, fines,
Gallicaque adducens quæſitum in commoda pignus
Luce coruſcatos currus Hymenœus agebat;
Huic comes aſtabat multo Mars flore revinctus.
Martis equos auriga levi flectebat habenâ
Mollis Amor, ſummoque volans temone, jocantes
Subſultu lepido roſea inter lora quadrigas
Urgebat tenui ſtimulo; ſentire putares
Pondus equos, adeò volucri gravitate feruntur,
Et ſua compoſito glomerant veſtigia faſtu.
Debita Verſalicis cûm ſe pompa intulit hortis,
Hinc molli digito carpebant Lilia Nymphæ,
Hoſpitibuſque novis cognato è flore coronam
Texebant alacres, urnas ſimul inde capaces
Naïades approperant, Naïs ſubit ipſa canales
Plurima, miſceturque undis, tubuliſque morantes,
Ejicit increpitans, quoſque indidit, ipſa per æſtus
Se fugit & ſequitur, lymphas agit, actaque lymphis
Nunc vaga proripitur, nunc penſilis aëre ludit,
Alternatque cadendo vices. Hanc nempè placendi
Mobilis urget amor, ſeu ſe levis impete tollat,
Seu revoluta cadat, properetve aut lenta moretur,
Obſequium, & plauſus famulante reciprocat æſtu.
Hortorum ſub primo aditu Regale per auras

Exerit ; Urbe domus major, minor Hoſpite, culmen ;
Hanc propè planities tumulis immenſa ſubactis
Panditur, & pulchro ſeſe procul orbe coronat
Regis & Artis opus, Naturæ induſtria clades.
Illius in medio Regali ſplendida luxu
Atria ſternit Hymen, fidibus quæ tinnula Muſæ
Et choreis levibus Charites & turba Jocorum
Certatim exhilârant ſocio feſtiva tumultu.
Obſtupuit primo aſpectu telluris Iberæ
Tutator Genius, quamvis & origine Gallus
Galliaque hiſpanis miracula viderit oris
Spectat inexpletùm, ludi pars maxima, ludos.
Obvius huic properat Genius qui præſidet oræ
Regali, numenque loci eſt quem Numina poſcant
Eſſe ſuum & ſpretis habitent felicia templis ;
Huic adſunt facileſque Joci Nymphæque decentes,
Et quibus hortorum eſt cuſtodia credita, Divi.
Hîc ſibi mandat Hymen moles exſurgat in auras
Alta, auguſta, ingens, rutilis ſuſpenſa columnis,
Digna Deo, quæ ſponſi oculos, ſponſæque moretur,
Laudis & omne genus ſuperet, laudata duobus.
Sed non plebeio permittitur illa labori ;
Numina certatim, quorum viſenda loquaci
Marmore Regales fulgent Simulachra per hortos
Cœlo & pulſa ſuo terrâ meliore locantur,
Seſe operi accingunt illud decet eſſe Deorum
Artificeſque petit Divum domus hoſpita Divos.
Sculptura in varios marmor tractabile vultus.

Ire jubet, gemini os & facta perennia REGIS
Gallia quo felix, quo ſeſe Hiſpania jactat,
Imprimit & memori ſpirantia ducit in ære.
Eminet hinc LODOIX qualem Victoria vidit,
Utque modo in pugnis ſe dignum in imagine REGEM
Admirara colit; juxta eminet inde PHILIPPUS
BORBONIAM vultu referens, ut pectore, Gentem;
Ambo pares ſceptris, ſtudiis regalibus Ambo,
Inter Utrumque micat, ſocias victoria lauros
Deproperans, meritas innectit utrique coronas;
Belgicus ancipiti ſeſe hinc formidine verſat
Cunctaturque Leo, dum ſævo immanis hiatu
Infremit, & vaſtas Leopardus colligit iras.
Parte aliâ geſtans calamos, miſcenſque colores
Æmula naturæ telâ Pictura loquaci
Inducit vultus propria quos cuſpide ludens
Signat Amor, ſubigunt Charites, Riſuſque ſerenant,
Et ſimili ſimiles Hymenæus ab igne colorans,
Exhibet elatos in Principe frontis honores
Dulce renidentes in Virgine pingit ocellos;
Amborum cingit genialis tempora myrthus
Amborum geſtat ſocialem dextera laurum;
Hac geminâ ſe fronde ligant, cœloque probatos,
Optatos terris, Populorum in fata, ſuorum
In decus, inque ſuum nexus, virtute ſequeſtrâ,
Plaudente Europa, LODOICO præſide ducunt.
Immixtæ Nymphis Charites Regale Trophæum
Circumſtant, pulſantque fides, agitantque choreas,

Et vinctos ducunt ſua per veſtigia Riſus.
His addunt ſeſe dulci rivalia ludo
Numina; Comus agit convivia; gemmea Bacchus
Pocula ſpumanti captivus Numine replet.
Vexilla Auſtriacas Mavors teſtantia clades
Explicat; igne levi ſurgit Vulcanus in auras,
Et nocti Soles & Solibus inſerit Aſtra,
Multaque BORBONIÆ ſignat miracula lucis.
Phœbus at in medio præſaga ingentibus ora
Eventis aperit, ſignatque in marmore fata,
Et ſacram inſcribit manſuro carmine molem;
HÆC UNUM AD FOEDUS, CUNCTORUM FOEDERA CONTRA.

ALEXANDER DE BERMONT,
FRANCISCUS-LUDOVICUS GODIN,
Rhetores novi.

In

In idem argumentum ſcripsêre cum laude,

INTER VETERANOS,

LUdovicus-Antonius-Xaverius Audiat.
Carolus-Marrinus Tillieres.
Zacharias Goſſart.
Ludovicus Ménage.
Franciſcus d'Anthés.
Franciſcus-Philippus d'Anthés.
Nicolaus Dufincourt.

INTER NOVOS,

Michaël Chomel de Bizy.
Paulus-Valentinus de Charitte.
Philippus Poujaud.
Joſephus de Saint-Martin.
Philippus-Athanaſius Taſchet.
Ludovicus-Maria Foucquet de Giſors.
Stephanus-Andreas de Serres.
Philippus Giraud.
Petrus-Maria le Leu.

SUR LE MARIAGE DE MONSEIGNEUR LE DAUPHIN.

AMour, Hymen, tous deux d'intelligence
Freres tous deux & cependant amis
Malgré dégoûts, humeurs, & différence
Que le Caprice entre eux a mis,
Disoient un jour, laisserons nous la Terre
Plus long-tems asservie au Démon de la Guerre.
Mars fait par-tout adorer ses fureurs,
Il brise tous les nœuds & s'attache les cœurs!
Les Ris vont sur nos pas, le Deuil marche à sa suite;
Il fait couler le sang, nous tarissons les pleurs;
On nous aime, il est craint, cependant on nous quitte,
Et du sein de nos jeux on vole à ses combats.
Je l'ai vû, dit l'Hymen, cent fois entre mes bras
Séparer des Epoux a peine mes conquêtes,
Couvrir d'affreux Cyprès un Myrthe tout nouveau,
Des ombres de la mort environner mes fêtes,
Dans le sang, dans les pleurs, éteindre mon flambeau;
Unissons-nous des Cœurs qui puissent le détruire;
S'il regne plus long-tems nous sommes sans Empire:
J'ai vû dans une auguste Cour
Une Princesse, dit l'Amour,
Digne des Dieux, leur sang & leur image;

A ſes attraits naiſſans tout doit, tout rend hommage
Sur les rives de l'Ebre eſt cet objet vanté,
Les Graces dès l'enfance à la ſervir fidelles
De leurs ſoins tirent vanité;
Elle à tous leurs attraits, & ſans la Majeſté
Dont l'éclat ſur ſon front, s'unit à la bonté,
Vous la croiriez une d'entr'elles.
Hé bien, répond l'Hymen, donnons lui pour Epoux
Un Prince que ſouvent j'ai vû prendre pour vous;
Il eſt après LOUIS tout l'eſpoir de la France
De l'Europe attentive il fixe les regards;
Le défaut de ſon Pere eſt d'être ami de Mars
Il le doit par reconnoiſſance;
D'ailleurs il ſçait l'amour qu'ont pour lui ſes Sujets
Dût-il à leur bonheur immoler de ſa gloire
On le verroit lui-même enchainer la Victoire,
Son bras eſt pour la Guerre, & ſon cœur pour la paix.
Mars écoutoit d'aſſez près ce langage,
Il s'approche des Dieux & rit de leur frayeur;
Raſſurez-vous, dit-il, ce projet eſt flatteur,
Ainſi que vous j'y vois mon avantage,
Les nœuds que vous formez m'aſſurent des Guerriers,
Aux myrthes de l'Hymen j'unirai mes lauriers,
Le tems qu'à mes exploits enleveront vos fêtes,
LOUIS me le rendra bien-tôt par ſes conquêtes.

BARTHELEMY CROISOEUIL,
Rhetoricien Vétéran.

CANTATE SUR LE ROY.

QU'entends-je ? Quel éclat ? Quoi déja la Trompette
De ſes ſons effrayans fait retentir les airs !
Mars a vaincu l'Hymen, & briſé la Muſette
Qui charmoit nos Vallons par ſes tendres concerts !
Fuyés légers Amours ; un monſtre ſanguinaire
De ſes feux dévorans embraſe encor la Terre ;
Sous ſes Drapeaux ſanglans marche l'affreux Trépas :
La foudre eſt dans ſes mains, & la Mort ſur ſes pas.
Dieux, qui veillés au bonheur de la France,
Faites rentrer ces Tyrans dans les fers ;
Epargnés-nous les riſques & l'abſence
D'un Roy qu'adore après vous l'Univers :
LOUIS, fuyés les appas d'une gloire
Dont les dangers vont nous couter des pleurs ;
Vous vaincrés : mais... la plus belle Victoire
Suffira-t'elle à payer nos frayeurs ?
Dieux qui veillés au bonheur de la France

Faites rentrer ces Tyrans dans les fers ;
Epargnés-nous les risques & l'absence
D'un Roy qu'adore après vous l'Univers :
Peuples, n'esperés pas de fléchir son courage,
Il vous laisse les biens, il prend sur lui les maux :
La Paix est votre sort, les combats son partage :
Il ne veut être Roy que pour être Héros ;
Tremblés, fiers Ennemis, cette Main redoutable
Qui de l'Escaut jusques au Rhin
Fit retentir son tonnerre effroyable
Va rallumer jusques dans votre sein
Et le feu de Fribourg, & celui de Menin.
Du Dieu de la Thrace
Il porte l'audace
Au feu des combats.
Vainqueur sans vengeance
La seule clémence
Désarme son bras.
La Flandre captive
Adore ses Loix ;
L'Europe craintive
Respecte ses droits ;
La Paix fugitive
Revient à sa voix.
Rentrés dans la nuit du Tartare

Sombre Dépit, Fureur barbare;
Tyrannique Intérêt, Monſtres craints, & flattés;
Ennemis de la Terre, & ſes Divinités.
C'eſt contre vous que LOUIS *prend les armes,*
Puiſſe-t'il renverſer vos complots inhumains,
Et de la Guerre enfin banniſſant les allarmes
Sur ſon cœur généreux gouverner nos deſtins.
Puiſſe la Paix la plus profonde
Fruit déſiré de ſes exploits
Nous le rendre, & dans lui ramener à la fois
La terreur, & l'amour, & l'exemple du monde.

La Muſique eſt de la compoſition de M. Février.

Les Paroles furent chantées par M. l'Abbé Martin Bénéficier de l'Egliſe de Narbonne.

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE

Vû les Approbations du Sieur CREBILLON, *permis d'imprimer. A Paris ce vingt-trois Mars mil ſept cent quarante-cinq.*

FEYDEAU DE MARVILLE.